

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica, De Emundatione Sagvinis Christi
Iustificata**

**Neumann, Johann Georg
Gölner, Johann Polycarp**

Wittenbergae, 1716

VD18 13492934

§. VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130526)

peccatum, ejusque lenus: tegitur tamen in Iustificatione, indumento justitiæ Christi, ut ne videatur; vel potius: tollitur ejus reatus, ut ne nobis imputetur in poenam & condemnationem.

§. VI.

Perlustratis iis, quæ ad dictum nostrum explicandum facere videbantur, restat nihil amplius, quam ut breves easque salutare doctrinas inde extrahamus, & in nostram convertamus utilitatem. Ac Id quidem ex Textu nostro optime probari posse autumo: *Quod Christus vere pro nobis satisfecerit.* Non desunt, qui huic sententiæ contrariantur, nimirum illi, qui in Schola Socini educati sunt, satisfactionem Christi, tanquam infensissimi ejus hostes, plane in dubium vocantes, atque somniantes: Christum nec potuisse, nec debuisse satisfacere, adeoque nec revera satisfecisse. Verba ipsius Socini hæc sunt: *Etiamsi non semel, sed sæpe id in sacris monumentis scriptum extaret, Christum pro peccatis nostris divine iustitiæ satisfecisse, non idcirco tamen rem prorsus sic se habere crederem.* P. III. de Christo Servatore c. 6. At enim vero, detestanda impietas est, clarissimis Scripturæ testimoniis fidem denegare, & *Φρονέειν ὑπὲρ τῶν γράμματος*, i. e. sapere supra id, quod scriptum est 1. Cor. IV, 6. Nos veneramur veritatem, a Ioanne clarissime assertam, h. t. Dum enim sanguinem Christi dicit, nos emundare ab omni peccato, quid aliud testatur, quam Christum satisfecisse pro nostris peccatis? Equidem Socino nostra interpretatio non est ad palatum. Ubi enim sanguine Christi dicimur emundari ab omni peccato, idem hoc esse existimat ille, ac per sanguinem Christi emundatos nos pronunciari,

ciari, quia ex mente ejus, Sanguis Filii Dei fusus est, ut teste-
tur, pœnitentibus condonari peccata, non vero ut moveatur
Deus, ad condonanda nobis peccata. Comment. in h. l. Sed
enim vero insana hujus loci detorsio hæc est, emundare idem
esse, ac emundatum pronunciare, & sanguinem Christi testari,
peccata pœnitentibus esse remissa. Christus sane sanguinem
suum profudit non frustra, seu in testimonium remissionis
peccatorum nostrorum, sed ut tanquam ἰλαστήριον ἐν τῷ
αἵματι αὐτοῦ, εἰς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, nos redimeret a
peccatis. Hinc redempti dicimur sanguine ejus τιμῶν pre-
tioso, seu ex dignitate & justo pretio, taxato, ut Philologi id
reddunt, quia videlicet par erat ille infinitæ Dei justitiæ pro
iniquitatibus nostris satisfaciendæ, 1. Pet. I, v. 18 19. ita san-
guis Christi consideratur h. l. tanquam pretiosissimum λύτρον
pro nostris iniquitatibus, conf. c. III. Rom. 24. 25. Unde
hunc in modum colligimus terminos:

Quicumque sanguis ipsius Filii Dei est, adeoque tam
pretiosus, ut ad mundandum omnia peccata sufficiat, ille
vere hilasticus est.

Atque sanguis Iesu Christi, quem Ioannes describit, talis
est, Ergo.

Accedit, quod sanguis Christi dicatur nos καθαρῶν
emundare ab omni peccato, id quod asseverari non posset, ni-
si supposita Christi satisfactione. Neque enim Deus sine
læsione justitiæ suæ condonare nobis poterat peccata, nisi
per αἵματι καθαρίαν fieret redemptio, Ebr. IX, 22. Hinc Pau-
lus diserte inquit, nos habere ἀπολύτρωσιν διὰ τῷ αἵματος τοῦ
Χριστοῦ τὴν ἀφεσιν τῶν παραπτωμάτων, i. e. redemptionem per
sanguinem Christi, & hinc remissionem peccatorum, Eph. I, 7.

C

Argumen-

Argumentum sic fluit:

Quicumque suo sanguine nos mundat a peccatis, ille vere pro peccatis nostris satisfecit.

Atqui Christus &c. Ergo.

§. VII.

Deinde II) cum primis ex hoc oraculo Novaturientium errorem confutamus, qui consummatam vite puritatem in hac vita se consequi posse gloriantur. Nihil affingimus his sectariis, nec quicquam imputamus, nisi quod res ipsa loquitur, & quotidiana confirmat experientia. Sic, his ipsis nundinis confessio cujusdam Pietastri prodiit, qui sic nugatur: Von der Vollkommenheit glaube ich / daß ob ich schon in sündlichen Samen gezeuget und gebohren bin / ich dennoch nicht allein durch Christum gerecht / sondern auch NB. vollkommenlich geheiligt werden kan / (en factum ipsomet Pharisæismo majorem!) so daß gar keine Sünde mehr in mir bleiben darff / (at quid Apostolus noster? si dixerimus peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est; imo mendacem facimus Deum,) wenn ich zur vollkommenen Mannstatur in Christo werde gelanget seyn / (tu vero cum velis pro temporis ratione Doctor esse, rursus opus habes, ut prima elementa eloquiorum Dei docearis, factusque es ille, cui lacte sit opus: infans enim es, ut cum Paulo te corrigam. Ebr. I, 12.) daß man aber vollkommen werden kan / ist aus der ganzen H. Schrifft fast auff allen Blättern zu erweisen (at mendacem oportebat esse memorem: unde ergo id probas?) Ich führe distmahl nur diesen einzigen gar deutlichen Spruch an / Ebr. VII, 25. nach des Piscatoris version, daher Christus auch vollkommen selig machen kan / diejenigen so durch Ihn zu Gott